



# Notes du mont Royal

[WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM](http://WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM)



Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES  
Google Livres

# HESIODI

ASCRAEI OPERA ET DISS.  
INTERPRETE CAROLO FU

guto Philippi Melanthonis

discipulo.

Coloniæ in officina Nicolai Be  
stoniæ, Impensis M. Joha  
nis Schoenstenij. Anno  
M. D. XL.

A.gr.a. 2809 s



vw|92|278

# CHRISTIA

NISSIMO. ORTHODOXATO, IDEO-  
QUE REVERENDISSIMO ATQVE  
COLENDISSIMO D. D. IOHANNI:

du Bellay sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
Cardinali, & Parisiensis Ecclesiæ Epis-  
copo, liberalissimoq; studiosorū  
Mecenati, ac domino suo cle-  
mētiss. Carolus Figulus

S. P. D.



Vi sibi uolunt tuæ Celsi-  
tudinis benevolentiam ac  
fauorem conciliare, reuerē-  
diss. Præsul, hi solent inge-  
tia munera T. C. donare.  
Alius enim eximius caballus  
alius uestem splendidam,  
alius Galerum purpureum,  
uel coccineum, aliis precio-  
sam gēmam, vel rem quā-  
piam inueni raram, aliis  
aliud T. C. offert. Ego quoq; iam pridem apud me statue-  
ram T. C. aliq; munusculo honestare, sed in tanta rei meq;  
familiaris angustia, nihil hactenus inuenire potui, quod  
mihi tanto præsule dignum uideretur. Tandem cum au-  
direm T. C. literatis muneribus magis delectari, quam au-  
ro, vel ullis gemmis, selegi ex meis chartis diuini Hesiodi  
poëma qd ille ἔγει τῇ μέρᾳ, id est, opera & dies inscripsit,  
atque illud latinitate donavi, quod quāta fide ac diligen-  
tia studiosorumq; utilitate præstiterim, et si nō est meum

A ij

## N V N C V P A T O R I A

iudicare tamen illud & dicam & polliceri non dubitabo  
in hoc autore uertendo, uel nihil uel parum à nobis præ-  
termissum, quod ad uerborum proprietatem ac lucē atti-  
nere uideretur. Nos autem quoad fieri potuit, uerbū uer-  
bo reddidimus. Citra tamē ullam curiositatem ac super-  
stitionem. Multa enim liberius uertimus, ubi res ita po-  
stulabat uel potius flagitabat. Quælibet lingua habet pe-  
culiare quiddam, nō tantum in singulis, sed etiam in con-  
iunctis uocabulis; quod qui non animaduertunt, hi sæpe  
sententiam autoris non modo non explanant, sed etiam  
prorsus obscurant. Quapropter nos hoc Hesiodi carmē  
tanta religōie latine reddidimus, ut ne latum (ut aiunt)  
unguem ab illius uerbis discesserimus, hoc ubique tamen  
cauentes, ne in transferendo superstitioni uel essemus uel  
diceremur, magisq; interdum de sensu q̄ de unico uerbu-  
lo reddendo laborauimus. Porro nihil hic attinet me o-  
pus uel autorem operis commendare, quum alij utrumq;  
sic commendarint, ut mea commendatio ne nō sit opus.  
Cicero scribit hunc poëtam esse unum ex antiquissimis  
poëtis, iudicatq; hoc opus in primis esse dignū, quod non  
modo ab adolescentulis lecitetur, sed etiam ad uerbum  
ediscatur. Occasionem autem scribendi hoc poema, sum  
psit à fratri sui Persæ iniurijs, à quo in diuīsiōe hæredita-  
tis suæ fuerat defraudatus. Verum quo genere dicen-  
di usus sit Hesiodus satis docet Quintilianus cum inquit:  
Raro assurgit Hesiodus, magnaq; pars eius in nominibus  
est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ, leni-  
tasq; uerborum, & compositionis probabilis, daturq; ei  
palma in illo medio genere dicendi. Verum hoc poema  
Hesiodi diuiditur in duos libros. Prior liber totus est mo-  
ralis, estq; uelut quædam Decalogi enarratio atq; explica-  
tio. Nam Hesiodus in hoc libro præcipit deum esse colē-  
dum, parentibus & magistratibus esse obtemperandum.  
Neminem esse lēdendum. Benefaciendum esse alijs. Bene-  
merentibus referendam esse gratiam. Punienda esse deli-

## E P I S T O L A


cta; & tollēdos esse ē medio qui uiolant communem hominum societatem. Multas autem lēpidissimas ac iucundissimas fabellas huic libro Poeta aspergit, quibus ceu ille crebris quibusdam sua præcepta cōdire uoluit. Necq; uero cuiquam poetæ fabulæ sunt aspernādæ. His etenim poetæ maximas res adumbrarūt. Nam poetarum fabulæ aut sunt morales, aut naturales, aut historicæ. Quædam uero fabulæ tantum uoluptatis & iucunditatis causa adhibentur. Hesiodus autem in primis uidetur fabulis esse delectatus, ideoq; nonnulli existimarent cum fuisse autrem fabularum quæ hodie nomine Aesopi circunferuntur. Nam illæ fabulæ sunt perquām eruditæ, nec uidetur à uulgari homine fuisse compositæ, atq; inuentæ. Omnes autem fabulæ quæ huic operi inseruntur, sunt morales. Primum descriptio contentionum, innuit duo esse hominum genera, alterum eorum, qui labore & industria sua uictum queritant, nec alios defraudant suntq; sua mediocritate contenti. Alterum autem genus est eorum qui iustice rem suam augent, & qui suis facultatibus non contenti alienas diripiunt. Secunda fabula est de prometheo, Epimetheo & pandora. Prometheus designat rationem, Epimetheus affectus. Pandora uoluptatem. Prometheus id est, ratio præcipie & dictat honesta. Epimetheus, id est, affectus non sequuntur rectum iudicium rationis, quoniam Epimetheus repugnante & reclamante prometheo pādoram, id est, uoluptatem recipit. Quod autem fingunt Iouem occulasse ignem, significare uolunt ueritatem latere & penitus abstrusam esse. Hanc inuenit prometheus, id est, homines perspicere possunt quid sit rectum & honestum, sed pandora, id est, uarietate uoluptatum illecebræ non sinunt nos quæ etiam recta esse cognouimus, sequi. Tāta enī est humanæ naturæ imbecillitas, ut uidentes meliora, tamen sequamur deteriora. Est nostris animis diuinatus lumen quoddam insitum, quo possimus uerū a falso & æquum ab iniquo discernere, tamen illud lumē ita

## N V N C V P A T O R I A:

est peccato originali uiciarum & obscuratum ut parum aut nihil cernere uideamur. Tertia fabula est de statibus. Poetæ singunt quatuor esse ætates auream, argenteam, æneam & ferream, similitudine à metallis sumpta, sicut enim aurum est melius argento, & argentum uilius est auro & sicut argentum est preciosius ære, & æs deterius est argento, & sicut æs nobilius ē ferro, & ferrum ignobilis ære. Ita etiam homines hoc tempore multo sunt deteriores quam antea. Poetæ igitur his gradibus ætatum nihil aliud significare uolunt, quam homines subinde fieri deteriores, & omnia subinde in peius ruere. Quondam homines erant aurei, i.e. optimi, nunc sunt plane ferrei, i.e. sunt pessimi. Quarta fabula de accipitre & luscinia. Luscinia unguibus accipitris correpta ac træfixa plorabat, & rogabat accipitrem ut se dimitteret. Accipiter autem increpabat eam dicens: Misera quod clamas: ego sum te multo potentior, tu igit ibis, quo cum te abduxero, & quamuis optime canas, tamen te, si uelim in coena deuorabo. Nam stultus est qui uelit cum potentibus contendere. Non enim fieri potest ut is potiatur unquam uictoria, & insuper dedecus & mala cogetur pati. Accipiter autem est imago tyranni, qui non audit lusciniam, licet ipsa iusta petat. Semper fuerunt probi homines in mundo, qui ausi sunt in uitio tyrannis ueritati ac iustitiae patrocinari. Semper quoque exciterunt tyranni, qui ueritatem ac iustitiam resisterent, & qui uere piros ac iustos persequerentur. Accipitres igitur sunt principes potentiores, & summi iudices quos Hesiodus θωρηγες. i.e. doniuoros vocat, quod patientur se muneribus corrumphi, ut alios iniuria afficiant, & iniquis iudicij opprimant. Et ut summatis dicam in priore libro Hesiodus hortatur fratrem suum Persen ad colendum iustitiam. In posteriore uero exhortsatur eum ad laborem, & præscribit rationem laborandi, atque obiter ortus & occasus syderum describit, estque posterior liber astrologicus, quemadmodum prior est paraceticus. Cæterum T. C. melius nouit quid Hesiodus in hoc

## E P I S T O L A

opere tradat q̄ ego. Quamobrem omisso Hesiodo, ego  
me ac mea studia T.C. uhementer commendō: magis e-  
nīm mihi commendatione apud T.C. opus est q̄ Hesio-  
do. Is enim non amplius humano sed diuino fauore eget:  
ego autem uiuere non possum nisi tuo præsidio adiuuer.  
Non tamen cupio me tam commēdatū esse T.C. q̄ ip̄m  
Hesiodum, quod abunde fiet si T.C. hunc autorem uel p-  
me uel per alium publice enarrari curauerit; quod  
si feceris, tum iudicabo me neque operam, ne-  
que oleū perdidisse. Quæso ut hoc mu-  
nusculum nostrum T.C. boni con-  
sulat. T.C. ualeat in Christo.



# HESIODI

ASCRAE I OPERA  
ET DIES.

¶ Hęc est prima inuocatio figurata interrogatiōe. Nę poeta rogar Musas, quis sit author nobilitatis. Musae respondent, Deum esse authorem. Ratio additur. Quia deus facile nobilitat quę uult, facile quoq; obscurat quem uult.



Vſae Pierides carminibus celebrantes,  
Atq; hymnis laudātes uestrum patrem,  
dicite amabo,  
Cur mortales uiri pariter sint nobiles &  
ignobiles

Inuocat  
Musas.

Clari & obscuri? Voluntate magni Iouis.

Facile enim extollit uirum, & sublimem deprimit.

Facile insignem minuit, & obscurum auget

Facile erigit humilem, & superbū attenuat.

¶ Sequitur posterior inuocatio q̄ simul precatur Iouem, ut sibi opem ferat: proponitq; se traditurum optimas uiuendi leges.

Iupiter altitonans qui summas ædes incolis,

Audi uidens audiēsq; recte gubernato hęc mea p̄cepta.

Inuocat  
Iouem et  
proponit

¶ Tu. Ego autem Persæ optima consulam.

¶ Narratio in qua describit duplē contentionem, alteram uidelicet honestam, & alteram turpem.

Non igitur unum est contentionum genus in terris, sed narratio,  
Suę duo, altera merito laudanda est

## H E S I O D I   O P E R V N

Altera uero uituperanda, in contrarias partes animum  
distrahunt.

Hæc bellum malum, & rixas parit  
Pernicosa, nullus mortalium hanc amat, sed fatali  
Quadam necessitate, hanc contentionem quamvis gra-  
uem suscipiunt.

Alteram autem priorem, nox atra genuit.  
Saturnius autem altè sedens, & æthera incolens affixit  
Radicibus terræ, uiris quoq; admodum est conducibilis.  
Hæc enim uel inertem ac cessantem ad laborem excitas  
Cum uidelicet aliquis otiosus intuetur quempiam  
Diuitem, qui properat arare, & plantare  
Domumq; instruere, uicinus enim æmulatur uicinum  
**Prouerbi  
ales uersi  
culi.** Ad diuitias properantē, hæc contentio bona est hoībus.  
Et figulus figulo inuidet, faber fabro,  
“ Et mendicus mendico, & cantor cantori.

¶ Apostrophe, qua exhortatur fratrem ut potius am-  
pleteatur honestam contentionem quam turpem.

O Perse hæc insere animo tuo.  
Ne autem indigna concētio animū tuū à labore abducat,  
Neq; sis litium spectator, neq; fori auscultator.  
Ille non potest diu in foro litigare,  
Cui non fuerit annuus uictus domi repositus  
**Itonia.** Omni tempore, illa autem Cereris esca, quam terra fert,  
Saturatus, iurgia & lites mouere poteris.  
Propter possessiones alienas, tibi aut secūdo non licebit  
Ita facere, uerum denuo dirimamus litera

# ET DIERVM LI. I.

Rectis iudicij, quæ sunt ex Ioue optima.

Grauissi-  
ma finia,  
Iudicia  
sunt diu-  
nitus com-  
stituta.

Iam n. hæreditatem diuisimus, sed multa.

Rapiens auferebas, ualde demulcens reges

Doniuoros, qui uolunt hunc causam iudicare.

Stulti ignorant quanto sit dimidium plus toto

Necq; sciunt quanta sit utilitas in Malua & Asphodelo.

Dñ. n. occultarunt uictum hominibus.

Alioqui enim uel uno die tantum efficeres,

Vt tu uel ociosus ens, in annum satis haberet,

Statim remonem super fumum poneres,

Necq; esset opus boues atque mulos laborare.

Sed Iupiter iratus occultauit.

Quoniam uafer Prometheus cum decepit

Ideo excogitauit hominibus tristia mala.

Occultauerat aut ignē, quem bonus filius Iapeti rursus

Surripuit Ioui consulto in usus hominum.

In caua ferula clam Ioue, qui delectatur fulmine.

Tum Iupiter nubium author iratus illum affatus est

Iapetionide omnium callidissime

Gaudes q̄ sis ignem furatus, q̄q; me deceperis

Hoc tibi ipsi & posteris magnum malum erit,

Nam pro igne malum dabo, quo omnes

Delectantur, suum malum amplectentes.

Sic dixit, risit autem pater hominum ac deorum.

Vulcano autem inclyto iniunxit ut quam celerissime

Terram aquę misceret, & in illa mole, uocē hoīs poneret

Et robut, & ad similitudinem dearum effigiaret,

Epipho-  
nē a cōti-  
nēs laudē  
mediocri-  
tatis.  
Propter  
immodi-  
cas uolu-  
ptates  
nūc diffi-  
cilius est  
parare us  
ctū q̄ an-  
tea.  
Furtum  
Prome-  
thei.

Oratio  
Iouis ad  
Prome-  
theū, ubi  
Iupiter  
minatur  
homini-  
bus mala  
ppter uo  
luprates.

Pandore  
descri-  
ptio.

# H E S I O D I   O P E R V M.

Forma egregia atque amabili, sed Mineruæ præcepit  
Vt doceret opera, nimirum artificiosam telam texere.  
Aureo autem Veneri mādauit ut capiti gratiā circūfunderet  
Et desiderium molestum, & curas consumentes mēbra.  
Mercurio autem transactori atq; Argicidæ præcepit.,

**Pandoræ  
descriptio**      Ut insereret illi caninā mēte, & fraudulentū moreū.  
Sic iussit, illi autem obtemperarunt Ioui Saturnio regi,  
Porro Vulcanus utrinq; claudus statim finxit  
Verecundæ uirgini similem, propter Iouis bullam  
Dea autem cæsij oculis Minerua cinxit & ornauit.  
Gratiæ autem & uerecunda suadela circum corpus  
Aurea monilia posuerunt ipsam autem  
Horæ pulchricomæ uernis floribus coronarunt.  
Pallas autem omnē ornatū illius corpori accōmodauit.  
Sed Mercurius pacificator in pectore illius.  
Mendacia & blandos sermones, & fraudulentū morem  
Fabricauit iussu Iouis tonantis, illi autem uocem  
Indidit deorum præco, nominauit autem hāc mulierem  
Pandoram, quia omnes dīj  
Donum dederunt nōumentum curiosis hominibus.

**Pandoræ  
nomen.**      Pandoræ nomen est inditum quod in eam quisque  
deorum contulerit quod habuit peculiare. Per pandoræ  
autem designatur uoluptas.  
Sed postquam absoluit fraudē noxiā, atq; ineuitabilē,  
Pater ad Epimetheum misit inclytum Argicidam  
Celerē deorū nuntiū, ut ferret ei munus, neq; Epimetheus  
Cogitauit, quid præcepisset ei Prometheus, ne uidelicet  
unquam munus.

E T D I E R V M L I I.

Acciperet à Ioue Olympio, sed ut remitteret

Retrosum, ne aliquod malum hominibus fieret.

Prometheus est ratio, honesta præcipiens. Epimetheus  
us sunt affectus, rationi non obtemperantes.

Sed ille accepit, & postquam habuit, sensit.

Antea enim homines in terra uiuebant

Sine malis, & sine graui labore

Morbisq; molestis, qui hominibus senectam adferunt.

“ Cito enim homines in miserijs senescunt.

At mulier magnum dolij operculū manibus abstrahens

Dissipauit, machinata est autem hoībus acerbos luctus

Sola autem ibi spes in domo infragili

Intus mansit sub labris dolij, necq; foras

Euolauit, prius enim obiecit uasi operculum

Consilio Louis Aegiochi, nubium authoris.

Sed innumeræ calamitates inter homines errant.

Terra enim plena est malorum, mare etiam plenum.

Morbi autem homines interdiu & noctu

Vltronei adeunt, mala eis adferentes

Tacite, quoniam sapiens Jupiter exemit uocem.

Ita nemo potest Louis mentem effugere.

Porro si uis, aliam fabulam tib in narrabo

Bene & scienter, tu autem insere animo tuo.

Postquam nati essent homines.

Primum aureā ætatem hoīm diuersis modis loquentiū.

Dij, cœlestes domos incolentes, fecerunt

Hi quidem erant sub Saturnio cum regnaret in cœlo.

Porro uiuebant uelut dij non habētes sollicitū animatum.

Sententia  
prover-  
bialis.

Aetatum  
descriptio  
qua signi-  
ficat ho-  
minū mo-  
res reddi  
subide de-  
teriorcs.

# HESIODI OPERVM.

Absq; laboribus & ærumnis, neq; misera  
Senectus aderat, semper pedibus & manibus similes  
Delectabantur in conuiujs, absq; ullis malis.  
Moriebantur quasi somno domiti, ois aut generis bona  
Illi erant tellus autem Zeæ datrix proferebat fructum,  
Sua sponte, multum & copiosum, illi aut uoluntarie  
Et tranquille partis rebus fruebantur cum bonis multis,  
Sed postquam terra hanc ætatem texit.  
**Aurei ho**  
**mines a**  
**Ioue sunt**  
**canoniza**  
**ti, ac diu**  
**facti.**  
Illi quidem diu facti sunt magni Iouis bullæ.  
Boni uersantes in terris, & custodes humani generis  
Qui obseruant iusta, & scelerata facta  
Aëre induit, ubiq; terrarum obambulantes.  
Datores diuitiarum, & hoc munus regium habebant.  
**Secunda**  
**etas argé**  
**ta.**  
Denuo, secundam ætatem multo deteriorem postea  
Argenteam fecerunt dij cælum incolentes,  
Aureæ neq; natura similem neq; intellectu.  
**Perpetuo**  
**uiuere in**  
**delicij**  
**est puerū**  
**esse.**  
Sed puer centum annorum apud uenerandam matrem  
Educabatur delicatus & ualde stultus domi suæ.  
Sed cum pubuisset, & pubertatis mensuram attigisset  
Propter temeritatē, neq; n. iniuriam proteruā poterant  
Ab inuicem abstinere, neq; deos colere  
Volebant, neq; sacrificare in sacrī arīs deorum  
Sicut decet homines de more: illos postea  
Iupiter Saturnius occultauit iratus, quia honorem  
Non habebant dijs qui cælum incolunt.  
Sed hanc ætatem terra quoque occultauit.  
Hi uero subterranei dij uocantur.  
Secundi, sed tamen honor hos etiam comitatur.

ET DIES V M. L I. I.

Iupiter autem aliam tertiam ætatem hominifluarias uocat  
ces ædentiū, Tertia  
etas gne

Aneam fecit, argenteæ diffimilimam

Ex fraxinis, horribilem & robustam, quibus Martis  
Opera luctuosa curæ erat & iniuriæ, neq; ullū frumentū  
Edebant, sed habebant durum cor & adamantineum.

Deformes, magna autem uis & manus inuictæ

Ex humeris adnatæ erant in ualidis membris.

His autem erant ænea arma, & æneæ domus.

Aere autem laborabant, nigrū aut ferrum nondum erat

Atqui manibus suis domiti

Iuerunt in horridam domum frigidi inferni.

Ignobiles, atra aut mors quamquam formidabiles entes

Cœpit, reliquerunt autem splendidam solis lucem

Sed postquam terra hanc ætatem occultasse

Rursus adhuc aliam quartam in terra alumna

Iupiter Saturnius fecit, multo iustiorem & meliorem,

Diuinum genus uirorum heroicorum, qui uocantur

Semidei, superiori ætate in terra immensa.

Hos etiam malum bellum, & sæua pugna

Alios quidem ad Thebas septiportes à Cadmo cōditas,

Perdidic pugnantes propter opes Oedipi,

Alios autem in nauibus super magnam undam maris

Ad Troiam duētos, propter pulchricomam Helenam.

Ibi mortis finis eos texit.

Eis autē separatim ab hominibus uictū & sedes tribuēs

Iupiter dedit locum habitandi in finibus terræ.

Et quidem habitant, absque ulla animi solicitudine.

Quarta  
etas hero  
um.

# H E S I O D I    O P E R V M;

**Insulę for  
tunatę.** In fortunatis insulis apud profundum Oceanum  
Beati Heroes, his dulcem fructum  
Ter quotannis florentem terra Zē datrix profert,  
**Quinta  
ętas fer  
rea.** Utinam non essem cum quintis  
Viris, sed aut mortuus essem, aut postea natus.  
Nunc autem est ætas ferrea, neq;ullo die  
Quiescunt à labore, & ærumanis, neq; noctu  
Homines fragiles & corruptibles, dñ autem dabunt mo  
lefas curas,  
Sed tamen & his bona miscebuntur malis  
Iupiter autem perdet quoq; hoc hominum genus.  
**Vitia ult  
imę ętatis** Postquam nati canis temporibus fuerint,  
Neq; pater filij similes, neq; filij.  
Neq; hospes hospiti, neq; amicus amico  
Neq; frater charus erit, sicut olim.  
Statim contemnent senes parentes,  
Accusabunt autem asperis incessentes uerbis,  
Molesti, neq; deos curantes, neq;  
Senibus parentibus alimenta reddunt  
Violenti, alter autem alterius ciuitatem diripiet,  
Neq; aliqua scruantis iusurandum gratia erit, neq; iusti  
Neq; probi hominis, magis aut maleficū & maledicū  
Virum honore afficiens, ius autem in manibus & pudor  
Non erit, malus lædet meliorem virum  
Obliquis dictis alloquens, & peierabit  
Inuidia autem miseros omnes homines  
Molesta, tristis, & odiosa comitabitur

## ET DIERVM LI. I.

Tum ad cælum à terra latas uias habente  
Albis amiculis, formoso corpore tecto,  
Ad deorum genus abierunt relictis hominibus,  
Pudor & Nemesis, tristes aut̄ dolores relinquuntur  
Hominibus mali autem non erit remedium  
Nunc autem narrabo fabulam regibus, licet ipsi sapiāt,  
Sic accipiter affatus est canoram Lusciniam

Admodū alte in nubibus ferēs unguibus cōpræhensam  
Illa autem misere curuis confixa unguibus.  
Plorabat, imperiose autem dixit illi  
Misera quid mutis: tenet te multo fortior  
Hac ibis qua duco, licet sis canora,  
Cœnam, uero si uelim te faciam, aut dimittam.  
Stultus autem est qui uelit cū potentioribus contendere  
Etenim uictoria priuatur, & dedecus & dolores patitur.  
Sic dixit celeriter uolans Accipitur auis extensis alis.

O Perse audias iustitiam, neque iniuriam facias  
Iniuria n. perniciosa est misero homini, neque probus  
Facile ferre potest, grauatur quoque ab ipsa  
Dum incidit in damna, altera uia melior est  
Qua acceditur ad iustitiam, iusticia ad extremum  
Vincit iniusticiam. Stulus autem accepto malo sapit.  
Cito enim currit iūfirandum cum iniquis iudicij.  
Iustitiae autem impetus quocunque traxerint homines  
Doniuori, ini quis uero iudicij iudicant causas.  
Iusticia sequitur plorans per ciuitates & sedes popolorū  
Aere induita, malum hominibus adferens  
Alij uero eam expellunt, & non recte administrant,

Fabula  
de lusci-  
nia & ac  
cipitre.

## HESIODI OPERVM.

Alij autem iura hospitibus & peregrinis danc  
Recta, & non discedunt à iusto.

Horum ciuitas floret, & in ea florent populi.

Justitiae  
præmia.  
In terris autem illorum pax est iuuenum educatrix neq;  
unquam illis

Iupiter late cernens malum bellum destinat  
Et nunquam fames iustos uiros comitatur  
Neq; damnum, in coniuuijs autem partis rebus fruūtur.  
Illis terra fert multum uictum, in mōtibus aut quercus  
Summa fert glandes. media autem apes.

Lanigeræ autem oves uelleribus onustæ sunt.

Mulieres autem pariunt liberos similes parentibus.

Florent autem bonis perpetuo neq; nauibus

Injustitiae  
poenæ.  
Nauigabunt, terra aut zæcæ datrix fert fruges  
Quibus autem curæ est iniuria, mala & iniusta facta,  
Saturnius late uidens Iupiter destinat eis poenam.  
Sæpe etiam tota ciuitas ob malum uirum punitur  
Qui inutilia agit, & temeraria excogitar.

Illis autem coelitus adduxit malum Saturnius.

Famem simul & pestem, pereunt autem populi,

Neq; mulieres pariunt, minuntur autem familie

Iouis cælestis consilio, aliquando

Aut illorum ingentem exercitum perdidit, aut murum,

Aut naues in ponto Saturnius submergit atq; punit eos.

O reges agnoscite & ipsi

Iustitiam, prope enim inter homines dij

Entes, uident illos, qui iniquo iure

Se mutuo conterunt deos non curantes.

## ET DIERVM LI. I.

Innumerabiles enim sunt in terra multos aente

Dñ custodes hominum.

Qui obseruant iusta & iniusta facta

Aëre induit passim obambulantes super terram.

Iustitia autem est uirgo ex Ioue nata

Chara & reuerenda dñs qui cælum incolunt.

Et quando quis eam oblique lædit, probro afficiens

Satim apud Iouem patrem Saturnium sedens

Cōmemorat iniustā hominū mentē, donec ultius fuerit

Populus iniurias regum, qui noxia cogitantes

Alio deflectunt iudicia, oblique pronunciantes.

Hæc obseruantes reges corrigite sententias

Doniori iniustorū aūt iudiciorū omnino obliuiscamini;

sibi ipſi mala fabrieatur uir alteri mala fabricans.

Malum autem consilium consultori pessimum.

Cum autem Iouis oculus omnia uideat & omnia ani  
maduertat. Deus o-  
mnia cer-  
nit,

Etiā hæc si uolet, intuetur, neq; eum lateat

Quale iudicium ciuitas intus exerceat.

Porro nunc ego neq; inter homines iustus

Esse uellem, neq; meus filius, si malum esset iustū uirum

Esse, & si plus iuris iniustus haberet.

Sed non arbitror hæc facturum Iouē gaudentē fulmine.

O Perse tu hæc in animo pone tuo.

Et iustitiam exaudi violentiē autē obliuiscere omnino.

Hanc. n. hominibus legem dedit Saturnius.

Piscibus & feris & auibus uolucribus

Deuorare se mutuo quia ius non est in eis.

Iustitie  
descri-  
ptio.

# H E S I O D I   O P E R V M.

- Discrimē** Hominibus autem dedit ius quod longe optimum  
inter ho- Est si quis.n. uelit iusta concionari  
mines & Sciens huic diuitias dat late uidens Iupiter.<sup>9</sup>  
bestias.
- Duplex** Qui autem uolens peierabit  
uia. Et mentietur iustitiam lædens insanabiliter læsus est  
Tibi autem bene cupiens dicam, admodum stulte Perse.  
Turpitudinem facile est simul capere,  
Breuis uia est & ualde prope habitat.  
Dñj autem posuerunt sudorem ante uirtutem.  
Longa & ardua uia est ad ipsam,  
Et aspera primum, cum autem ad summum peruerteris,  
Facilis est postea, quamquam fuerat ante difficultis. }
- Tria ho-** Iste autem optimus est qui per se omnia intelliget  
minū ge- Cogitans, quæ postea ad finem sint meliora  
nera. Rursus & ille bonus est qui bene monenti paruerit,  
Qui autem neq; sibi sapit, neq; aliū audire  
In animo statuit, is inutilis uir est.
- Exhorta** Sed tu semper memor nostri præcepti,  
tio ad la- Labora Perse diuinum genus, ut te fames  
borem. Fugiat, te autem amet coronata ceres  
Veneranda, & tuum horreum impletat uictu.
- Fames ē** Fames, n. semper comitatur ignauum.  
**ignauie** Illum autem oderunt dñj & homines, qui ociosus  
**comes.** Vixerit fucis non caudatis similis ingenio.  
Qui apum laborem consumunt ociosi,  
Deuorantes, placeat tibi ornare mediocria opera,

E T D I E R V M - L I . , I.

Vt tibi tempestiuo uictu impleantur horrea.

Ex operibus autem fiunt pecorosi & opulentis.

Eclaborans multo charior dijs

Eris, & hominibus, ualde. n. oderunt ociosos.

Labor non est probrum, sed ignauia est probrum.

Si laboraueris, ociosus imitabitur te,

Ditescentem, diuitias aut & uirtus & gloria comitatur,

Deo autem similis fueris, & laborare melius est

Si ab alienis facnltatibus stultum animum

Ad laborem conuertens, cures uictum ut iubeo,

Pudor non bonus uirum egentem tenet.

Pudor autem uiros & ualde laedit & ualde iuuat,

Pudor ad paupertatem, confidentia aut ad diuitias.

Facultates aut non raptæ diuinitus datæ multomeliores.

Si. n. aliquis manibus & uiolētia magnas diuitias rapiat Diuitig,

Aut lingua prædetur, qualia multa

Fiunt quando lucrum mentem deceperit

Hominum, pudorem autem impudentia comitatur.

Facileq; eum obscurant dij, minuuntur autem familiæ

Illi uiro, brevi autem tempore diuitiæ adsunt.

Aequale delictum est supplicem & hospitem laedere,

Qui fratri sui lectum ascenderit

Secreti cubilis coniugis indigna faciens.

Quicq; malo consilio iniuriam facit orphanis,

Quicq; parentem senem, in malo limine senectæ,

Probris afficit, asperis perstringens uerbis.

Huic Iupiter ipse irascitur tandem,

Pro openbus iniustis malam addit retributionem.

Collatio  
laboris  
& ocij.

diuitiæ co  
mitantur  
laborem

Duplex  
pudore

Audacia.

Pauper-  
tas.

Supplices  
Hospites

Orphanis:  
Parentes

# H E S I O D I   O P E R V M

- Sed tu ab his omnino abstineas temerarium animum,  
Sacrificia Pro viribus autem fac sacrificia diis  
Caste & pure, splendidas hostias accende,  
Aliquando libationibus mactationibusq; placa.
- Orandum Quando uadis cubitum, & quando sacra lux uenerit,  
et se. Ut propicium cor & animum habeant.  
Ut aliorum emas hæreditatem, non tuam aliis
- Amici. Amicum ad conuiuium inuita, & inimicum omitte  
Inimici. Hunc autem maxime uoca qui prope te habitat.  
Si n. necessitas quædam domestica inciderit  
Cognati. Vicini incincti adcurrunt, cognati autem cinguntur.  
Vicini. Damnum malus uicinus, q; bonus magnum commodū.  
Consecutus est honorem, qui nactus est bonum uicinū.  
Necq; bos perierit nisi uicinus malus fuerit.
- Mutuum: Cum acceperis mutuo à uicino, reddas  
Eadem mensura & uberiore si possis  
Ut indigens & in posterum uictum inuenias
- Lucrum. Ne mala lucra quæras, mala lucra æ qualia damnis,  
Damnum. Amantem redama, & accendentem accede.
- Gratitudo. Et da ei qui dederit, & ne des ei qui non dederit.  
Datori quidem aliquis dat, non danti nemo dat.
- Donatio. Donatio bona, rapina autem mala & pernicioſa est,  
Rapina. Vir. n. qui uolens, quamuis magnum quiddam dederit.  
Gaudet donando & delectatur in animo,  
Qui autem rapit, impudentiae obtemperans,  
Licet paruum illud sit, tamen conteritat animum,  
Si paruum paruo addideris  
Et crebro id facias, statim & hoc magnum fuerit.
- Sedulitas & affiduitas.

## ET DIERVM. LI. I.

- Qui ad id quod adest fert, is effugiet atram famem,  
 Quod aut̄ non est domi repositum, uirū sollicitū habet.  
 Domi melius esse, quoniam noxiū foris esse,  
 Bonum est de præsentī capere, nocet autem animo  
 Petere de absenti, quæ te cogitare iubeo.  
 Ex incipiente uase & desinente largius sumas.  
 In medio comparcas, odiosa n. infundo parsimonia,  
 Merces autem charo uiro constitutā sufficiens sit.  
 Et cum fratre ridens, testem adhibeas.  
 Credulitas simul & diffidentiæ perdiderunt uiros,  
 Ne autem mulier ornans nates te decipiatur.  
 Blanda garriens tuum scrutans horreum,  
 Qui mulieri confidit, confidit latronibus.  
 Vnigenitus autem filius seruet paternam domum  
 Pascendo, sic diuitiæ crescent in ædibus.  
